



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.2. Author, & odij causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)



quod etsi verum sit apud plurimos, haud pauci tamen etiam sunt, qui fideles, pij, iusti & fortes, merito in exemplum militiae spiritualis proponi possunt. Qualis enim miles fuit S. Michael Archangelus? Abraham, Moyses, Iosue, Gedeon, David, Cornelius, Georgius, Sebastianus, Gallicanus, Mauritius, Gereon, Achatius, & omnes illi, quorum Litaniae nuper, seu syllabus totus in lucem prodijt. Quoniam igitur *militia est vita hominis super terram, & nos in carne ambulantes, non secundum carnem militamus*, proponam militis virtutem bellicam, nobis merito, in militia spirituali, imitandam.

Iob. 7. 1.  
2. Cor. 10.  
3.

Author, ex quo historiam sum prompturus, à me aliàs laudatus, est Rodericus Santius p. 3. Hist. Hisp. c. 37. Eo capite narrat, An. 1200. *Ferdinando Legionis XXXIII. regi in regno successisse filium Alfonsum IX. qui viuo patre, ab Vrracâ nouerca suâ, primarij cuiusdam viri Didaci de Haro, domini de Viscaia, sorore, varia vereq; nouercalia mala expertus, nihil mutire ausus est, quamuis non leuiter offensus. Timebat enim patrem pro nouerca stantem. Itaque re tota dissimulata, tacuit, & matrem carimonijs*

II:  
AVTHOR,  
ET ODII  
CAVSSA.  
Recenset  
eandem hi-  
storiam  
Michael  
Piccartus  
decad. 1.  
obseruat.  
Histori-  
co Poli-  
ticarum  
c. 1.



aulicis publicè ac priuatim, quantum potuit, delinuit. Facilius est linguam compe-  
 scere, quàm mentè sopire, & iniuriæ obliui-  
 sci. Quare licet verbis non quereretur Al-  
 fonfus, tamen vindictam alta mente repo-  
 sitam tam diu secum coxit, donec, patre de-  
 functo, in regni succederet hæreditatem.  
 Simplex fuit Vrraca, quæ existimauit Al-  
 fonsum non obseruasse, aut obliterasse ea,  
 quæ viuo patre in illū vel acerbè dixerat,  
 vel fecerat iniquè. At Alfonso, defuncto  
 patre, ad omnes illius actiones, praxes,  
 & consilia, quàm diligentissimè attendebat,  
 videbatq; *Vrracam* adhuc nouercam agere,  
 & cum fratre suo *Didaco de Haro* multa  
 perniciofa consilia agitare, neque regno,  
 neq; regi satis fidam esse. Erumpente igitur  
 tandem in apertum odij incendio, vindictæ  
 tempus esse arbitratus, *Vrracam*, vnà cum  
 fratre eius *Didaco de Haro*, domino de *Viscaia*  
 è regno expulit. Hæ sunt vices imperan-  
 tium, vt rota vertuntur, & qui iam in sum-  
 mo est, post annum erit in imo; vt vicissim  
 pedibus conculcetur, qui antè alios pedibus  
 calcavit; iuxta illud: *Pone principes eo-  
 rum, sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Sal-  
 mana; omnes principes eorum, qui dixerunt;*  
 Here-

Psal. 82.

12.



Hereditate possideamus Sanctuarium Dei: Deus  
inmensus, pone illos ut rotam: & sicut stipulam  
ante faciem venti. Nam qui hodie in aulis  
sunt potentes, & summi, & exaltantur, ut  
cedrus Libani repente, ut radij in rota, ver-  
tuntur, & sunt imi, & transiui, & ecce non  
erat. Quod videre fuit olim in Aman, in  
Achitophel, in Bellitario, in Seiano, in in-  
numeris, qui fortunæ spectaculum fuere.  
Ut proinde ad finem istorum potius, quam  
ad exaltationem sit respiciendum, sed in hi-  
storia pergamus.

Cessit *Didacus de Haro*, cum sorore sua  
*Vrraca*, & in Africam iuit, inter nigros  
homines infelix exulaturus. Non tamen  
ita cessit, ut non haberet animum redeun-  
di, vel placato, vel sublato è viuis *Alfonso*.  
Quare cum castrum quoddam *de Guiar* di-  
ctum haberet, famâ clarissimum, à situ lo-  
ci, & munitione, quodammodo insupe-  
rabile, illud discedens nobili cuidam Hispa-  
no *Marco Guterrio*, (alij illum *Guttherrium*  
nominant) in fidem tradidit, & etiam at-  
que etiam commendauit. Ita ille in exiliû  
profectus, regi crucem fixit. Experti sumus,  
his annis, quantum damnum toti provin-  
cia afferat, etiam vnicum eiusmodi castrû.

III.  
ARX INI-  
MICI  
QVAM IN-  
VISA.